



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus**

**Lessius, Leonardus**

**Antverpiæ, 1632**

3 Vtrùm dubitans ab res sit sua, censeatur bona fide eam poßidere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

constet prouenisse ex errore Iuris. Aduertendū tamen est, non semper requiri titulū ad prescriptionē, vt docet Couar. 2. p. §. 8. quia sepe fit vt tituli obliuiscamur; multa enim habemus in rebus nostris, quæ vtrū emptione, donatione, testamento, an aliter acceperimus, ignoramus. Requiritur tamen vt breuiore vel ordinatio tempore fiat prescriptio.

9 **Bona fides.** Tertiò, Requiritur *bona fides*, vt patet ex regula Iuris in Sexto, *Possessor mala fidei non prescribit.* (in quam regulā Couarr. doctissimum commentarium scripsit, quem sæpè hic citamus.) Idem habetur in c. finali. de prescriptionibus, quod sumptum est ex Concil. Magno Lateranensi, vbi dicitur, *Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absque bona fide prescriptio, tam canonica quam civilis; cum generaliter sit omni constitutioni & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest obseruari. Vnde oportet vt qui prescribit in nulla temporis parte habeat rei aliena conscientiam.* Ex quibus verbis hoc etiā colligitur, *bonam fidem* in proposito esse credulitatem, qua quis sibi prudenter persuadet rem esse suam, vel saltem nescit esse alienam. Dico *prudenter*, quia si ex ignorantia crassa, vel inordinata cupiditate illa persuasio procedat, non erit bona fides.

**Quid bona fides.**

**Continuata possessio.**

Quartò, Requiritur certi temporis continuata possessio: quod tempus varium est pro varietate rerum prescribendarum, vt infra dicitur.

Circa prædictas conditiones, præsertim circa 3. & 4. sunt aliquot dubitationes. Vnde fit

### DUBITATIO III.

*Vtrum dubitans an res sit sua, censetur bona fide eam possidere.*

10 **T**ractat hoc Couar. ad regul. Possessor, p. 2. §. 7. n. 3. & sequent.

Resp. & dico Primò, Qui dubitat, non censetur habere bonam fidem ad inchoandam possessionem, quamdiu manet dubitatio. Ita Couar. supra. Ioannes Medina Cod. de restitutione q. 17. & est communis sententia Doctorum.

Ratio est, quia vt rem quam antea non habebam, incipiam mihi vindicare & usurpare, requiritur vt determinatè iudicem eam vel esse nullius, (& ita fieri meam per occupationem) vel certè esse meam, quamuis id antea non aduerterim. Quòd si dubitem an sit mea, an aliena, iniquè ago eam mihi arrogans; cum non sit melior mea conditio quàm alterius. In hoc casu, si dubium versetur inter duos, quorum neuter bona fide possidebat, res est diuidenda: quia par est Ius vtriusque; neque est vlla ratio cur alteri potius quàm alteri adiudicetur, vt dictum est 1. 2. q. 19.

**Si sit dubium quando neuter possidet.**

11 Dico Secundò, Qui dubitat, censetur habere bonam fidem sufficientem ad continuandam possessionem bona fide initam. vnde quando dubium superuenit ei qui bona fide cepit possidere, non violat, nec interrupt eam. Ita Couar. supra §. 7. n. 3. & sequentib. vbi multos citat pro hac sententia. Idem docet Medina loco citato. Est contra Adrianum in 4. q. de prescriptione. & Sorum l. 4. de Iustitia q. 5. a. 4. & quosdam alios, qui dicunt bonam fidem per tale dubium interrupti, & ita non procedere prescriptionem. Sed proba-

**Dubitatio non interruptat prescriptionem.**

tur nostra sententia ex cap. Si virgo. 34. q. 1. vbi dicitur, *In iure prædiorum, tamdiu unusquisque possessor bona fidei dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum.* Idem indicatur c. finali de prescriptione, cum dicitur, *Vnde oportet, vt qui prescribit in nulla temporis parte habeat rei aliena conscientiam.* atqui dubius non est sibi conscius rem esse alienam, & ignorat se possidere alienum: ergo manet possessor bona fidei, & procedit prescriptio. loquuntur autem hæc capita de continuatione possessionis, non autem de inchoatione.

Secundò, Probatum ratione; quia in pari dubio melior est conditio possidentis quàm non possidentis: ergo cum is, qui incipit dubitare, iam possideat, melior est eius conditio quàm non possidentis; ac proinde potest rem retinere, et si adhibita diligentia adhuc maneat dubitatio. quòd si potest rem retinere, etiam potest continuare possessionem perferentem illo dubio. ergo hæc continuatio poterit perficere prescriptionem. nam sola illa possessio est inutilis ad prescribendum, quæ non est sine peccato, vt patet ex dicto c. finali.

Obijcitur contra, Bona fides est existimatio, qua quis prudenter existimat rem, quam retinet, esse suam; atqui dubitans non existimat esse suam: ergo non habet bonam fidem.

Respon. Non tantum est bona fides cum quis positivè credit rem esse suam, sed etiam cum nescit esse alienam; vt colligitur ex cap. finali supra. Vnde cum dubitans nesciat esse alienam, censetur habere bonam fidem talem, qualis quidem non sufficit ad inchoandam prescriptionem, tamen ad continuandam sufficiens est.

Ex his potest colligi resolutio cuiusdam dubitatione, quam Couarr. tractat nu. 2. supra: *An detur medium inter bonam & malam fidem? Dicendum est dari medium, si hæc speculatiuè considerentur: non autem si in ordine ad praxim.* Dubitans enim speculatiuè, nec bonam nec malam fidem habet, quia nec credit positivè rem esse suam, nec alienam; sed hæret in medio. In ordine autem ad praxim habet vel bonam fidem vel malam: bonam, si agatur de continuatione possessionis bene inchoatæ; malam verò, si agatur de possessione primùm inchoata. Qui enim dubitat an res sit sua, mala fide possessionem inchoat: quia contra conscientiam facit. scit enim se eam rem, de qua dubitat an alterius sit, sibi vindicare non posse. bona tamen fide possessionem ritè inchoatam continuat; quia cum possessio ei suffragetur, nouit se rem illam ob dubitationem superuenientem non teneri deserere, & alteri tradere; sed factis esse vt diligenter de veritate inquiret; & si adhibita conuenienti pro rei momento inquisitione adhuc dubium perseverauerit, se in sua possessione progredi posse: eò quòd in dubio melior sit conditio possidentis.

12 **An detur medium inter bonam & malam fidem.**

### DUBITATIO IV.

*Si quis dubitans an res sit sua, simul dubitet an liceat eam retinere, & tamen retineat, vtrum bona fide continuat possessionem, an mala.*

**R**esp. Mala fide continuat possessionem; vnde non procedit ei prescriptio; vt expressè habe-